



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Decretum de Purgatorio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

SESSIO XXV.

QVAE EST NONA, ET
Ultima,

SVB PIO IV. PONT. MAX.
COEPTA DIE III. ABSO-
LVTA DIE IV. DEC. M.
D. LXIII.

Decretum de Purgatorio.

CVM Catholica Ecclesia Spiritu sancto
edocta, ex sacris litteris, & antiqua
Patrū traditione, in sacris Cōcilijs, &
nouissimè in hac œcuménica Synodo docuerit,
a Purgatoriū esse: animasq; ibi detentas, fide-
lium suffragijs, potissimū verò acceptabile al-
taris sacrificio iuuari; præcipit sancta Synodus
Episcopis, vt sanam de Pargatorio doctrinam,
à sanctis Patribus, & sacris Concilijs traditā,
à Christifidelibus credi, teneri, doceri, & vbi
que prædicari, diligenter studeant. Apud ru-
dem verò plebē difficiliores, ac subtiliores que-
stiones, quæque ad ædificationem non faciant,
& ex quibus plerumq; nulla sit pietatis acces-
sio, à popularibus concionibus secludantur. In-
certa itē, vel quæ specie falsi laborant, euulga-
ri, ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad
curiositatem quandam, aut superstitionē spe-
llant, velturpe lucrum sapiunt, tāquam scan-

a Sess. c.

can 30.

supr. Sess.

22. cap. &

can. 3.

N

dala,

dala, & fidelium offendicula prohibeant. Current autem Episcopi, ut fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, que a fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta piæ, & deuotæ siant, & que pro illis extestatorum foundationibus, vel aliaratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accuratè persolvantur.

De inuocatione, veneratione, & Reliquijs Sanctorum, & sacris Imaginib[us].

Mandat S. Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut iuxta Catholice, & Apostolice Ecclesiæ usum a primi eius Christianæ religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, inuocatione, Reliquiarū honore, & legitimo imaginum vsu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, vna cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile esse suppliciter eos inuocare: & ob beneficia impetranda à Deo per filium eum Iesum Christum, Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Saluator est, ad eorum

ora-